

14. Tertio, quia leges imponentes poenas privativas, seu passivas, consequenter obligant ad multas actiones homini involuntarias, si necessariae sint ad servandam privationem, vel ex illa consequantur. Ut excommunicatus sit in Ecclesia, et Missa vel divinum officium inchoetur, tenetur egredi, vel si ei detur beneficium, tenetur non acceptare, quod licet videatur negativum, non fit sine positiva actione, et (quod difficilis est), quando quis per legem privatur beneficio, obligatur in conscientia relinquere illud secundum multos. Respondent aliqui per legem auferri titulum beneficii, quia haec est poena quae non requirit hominis executionem, inde autem sequi obligationem renuntiandi beneficium, quia ablato titulo perditur dominium beneficij, quia omnino pendet a titulo, argumento regul. 1 de Regul. jur. in 6, et c. unic. De eo, qui mittitur in pos. et cap. *Relatum*, de Jur. patronat. Hæc autem obligatio jam non est poena legis humanae, sed obligatio legis divinae, quia nemo potest retinere quod suum non est. Sed hoc non enervat, sed confirmat potius rationem factam: nam si lex potest a seipso auferre titulum beneficij, etiamsi inde sequatur nocummentum illud renuntiandi beneficium, cur non poterit directe obligare ad hoc ipsum nocummentum? Item, quia eodem modo dicere quis posset legem privare omni dominio et jure in pecuniam, et illud in alium transferre, et inde sequi obligationem non retinendi rem alienam, sed tradendi illam vero domino, sicut in præscriptione lex privat priorem dominum omni jure, quod in re, vel ad rem habebat.

15. *Resolutio prima.* — Concludo igitur, ex omnibus his fere opinionibus aliquid sumendum esse ex quo vera doctrina consurgat. Primum itaque assero posse legem humanam obligare in conscientia ad poenam tam passivam quam activam, ante omnem sententiam, si aliunde servetur æquitas. Hoc probatur, quia legislator potest suo præcepto obligare non solum ad sustinendam poenam, sed etiam ad agendum quando penalis actio potest licite ab ipso reo exerceri, et non est nimis acerba, et inhumana; ergo potest per legem ita hoc præcipere, ut statim obliget absque alia declaratione. Etenim superior potest propter alias rationes justas ita obligare subditum ad similem actionem; cur ergo non poterit propter justam causam ex delicto ortam? Certe non potest probabilis ratio reddi, ut ex dictis etiam contra alias sententias constat.

16. *Resolutio secunda.* — *Tertia.* — Secundo,

dicendum est hunc modum obligationis habere locum in poenis moderatis, non vero in quibuscumque gravissimis, præsertim quando requirunt hominis executionem; hoc etiam proxime probatum relinquitur. Tertio, dicendum est hunc modum obligationis facilius posse imponi in poenis privativas, quam in his quæ requirunt actionem hominis qui punitur, et inter privativas facilius in censuris, et irregularitatibus quam in aliis. Hanc assertionem damus auctoribus secundæ et tertiae sententiae, et eam suadent rationes eorum, maxime tamen usus, ut statim videbimus, et illius alias congruentias afferemus. Atque haec sententia sic moderata est sine dubio communior inter modernos autores, ut videre licet in Corduba, dicta quest. 36, fere in principio; Navar., citatis locis, et idem tandem dicunt expresse Covar. et Simanc.; et existimo antiquos doctores nihil ab hac sententia dispare.

#### CAPUT VI.

##### QUANDO LEGES POENALES CONTINEANT SENTENTIAM FERENDAM ET NON LATAM, ET IDEO NON OBLIGENT IN CONSCIENTIA AD POENAM ANTE JUDICIS SENTENTIAM.

1. Ostendimus non deesse potestatem legislatori humano ad obligandum subditos ad poenam sue legis absque interventu alicujus sententiae per hominem latæ; superest dicendum de actuali obligatione, quando imponatur; quoniam certum est non semper uti legislatores hac potestate, neque etiam nunquam illa uti; ideoque necessarium est expondere, quando leges penales uno vel alio modo obligent. In hoc ergo capite dicemus de legibus quæ non statim obligant ad poenam; in sequenti vero de his quæ obligant; ex quibus, priores dicuntur continere sententiam poenam ferendam per judicem; posteriores vero dicuntur esse latæ sententiae, quia per se ferunt sententiam condemnatoriam de tali poena, sive requirant sententiam declaratoriam criminis, sive non, ut postea explicabimus.

2. Quia vero tota haec distinctio legum maxime pendere solet ex ipsarum verbis, ideo ad hoc declarandum aderto, duplice verborum genere solere uti leges ad poenas imponendas, unum possumus simplicem vocare, aliud compositum: simplicem voco, quando lex solum utitur verbo præcipiendo, et imponendo poenam; compositum vero, quando illi verbo addit vel adverbium aliquod, vel aliam

particulam, aut clausulam, per quam magis explicit modum imponendi poenam. Et uterque modus est multiplex et varius. Nam in priori, primo fieri potest simplex comminatio poenæ, ut cum dicitur: *Prohibemus hoc fieri sub tali pena.* Secundo, potest fieri per verbum de futuro significans actionem, ut: *Excommunicabitur, deponetur, irritabitur, etc.* Tertio, per simile verbum de praesenti, ut: *Excommunicamus, irritamus;* quarto, per verbum præteriti, quod raro fit, nisi addito alio verbo, ut: *Noverit se privatum, sciat se esse inhabilem, etc.*; quinto, per verbum imperandi, ut: *Excommunicetur, etc.*; sexto, per verbum substantivum, *sum*, quod semper adjungitur alicui participio, et per dicta tempora et modos variari potest, ut: *Privatus est, vel, fuit, privatus erit, sit privatus;* et ex parte participii potest esse similis varietas praesentis vel futuri, ut, *Privandus est, vel, Privatus est.*

In altero modo formæ legis composito distinguunt etiam quanplures particulae et modi quibus jussio poenæ solet urgeri, et quasi exagerari, ut statim incurritur, quales imprimis sunt omnes illæ particulae, quæ indicant presentaneum effectum, ut, *Eo ipso, Ex tunc, Ipso facto, Ipso jure, et similes.*; secundo, sunt aliae excludentes expresse necessitatem sententiae, ut, *Ante sententiam, absque alia declaratione, nulla monitione præmissa, etc.*; tertio, sunt aliae explicantes obligationem in conscientia, ut si lex dicat: *In conscientia teneantur, etc.*; quarto, sunt quædam particulae universales, quæ videntur hoc comprehendere, ut, *Omnino, penitus, plene, etc., nullius momenti, et similes.*

3. Præterea advero, juxta communem usum et sensum doctorum, omnes fere hos terminos habere majorem vim circa poenas quæ hominis actionem non requirunt, quam in aliis involventibus talem actionem, et ideo hoc etiam considerari solere ad regulas in hac materia constituendas. Quæ plures tradi solent. Antequam vero illas constituamus, aliud supponimus fundamentum generale in hac materia, quod posuit Gloss. in c. *In poenis*, de Regul. jur., in 6. Nimurum quoties talia sunt verba legis (quæcumque illa sint) ut ex vi illorum incertus sit sensus legis, an, scilicet, contineat sententiam latam vel ferendam, de ferenda interpretandam esse, et ideo per se non obligare in conscientia. Idemque tenet Glos. in c. *Cupientes*, § *Si vero, verb. Priventur, de Elect.*, in 6. Item Glos., in c. 2, § 1 de Hæret., in 6, verb. *Innodetur*; sequitur Cast.,

dicto l. 2, c. 1; Tiraquel., de Poenis tempor., n. 243, plures referens. Fundanturque in illo principio juris, quod poenæ in partem mitiorem interpretandæ sunt. Et favent alia principia juris, quod nemo presumitur obligatus nisi probetur, et quod lex et sententia, præcipue condemnatoria, debet esse perspicua, et quod si legislator amplius intendisset, expressisset, e. ad audientiam, de Decim. His ergo positis: 4. Legem utentem verbis simplicibus comminantibus poenam, non obligare in conscientia ad talem poenam subeundam.—Prima regula sit: Quoties lex tantum utitur verbis simplicibus comminantibus poenam, non obligat in conscientia ad talem poenam subeundam, eujuscumque generis poena sit; ut cum lex dicit, *Sub pena quadrupli, vel, sub pena inabilitationis, etc.* Et communis, ut de Censuris diximus tom. 5, et sumitur ex D. Thom. 2. 2, q. 62, a. 3; et ibi Cajet. Tenent Soto, Cord. et alii theologi et juristæ etiam communiter cum Glos. ult. in c. *Fraternitas*, 1. 2, q. 2, ubi etiam Navar. et Tiraq. supra, n. 254, referens multos. Ratio est, quia talis lex ex vi suorum verborum nullum præceptum ponit de executione poenæ; solum ergo instruit judicem, argumento c. *De Causis*, § 1 de Offic. de leg. Unde ad summum virtute et quasi per necessariam illationem præcipit reo ut pareat judici imponenti talem poenam. Confirmatur primo, quia jura præcipiunt poenas benigne interpretari, reg. *In poenis*, de Reg. jur., l. penult., ff. de Poenis. Confirmatur secundo, quia aliud est designare poenam imponendam, aliud illam imponere; talis autem lex designat poenam, et non imponit, nec fert sententiam, quia nullum est in ea verbum quod illam significet: unde Castro adhibet limitationem ut hæc regula procedat, nisi præter verbum designans poenam addatur aliud declarans sententiam latam. Sed hæc limitatio non est nunc necessaria: nam pertinet ad caput sequens; in praesenti enim solum agimus de lege simpliciter loquente, ut dixi, et ita ex parte verborum nullam habet limitationem. Ex parte autem poenæ solet duplex limitatio adhiberi.

5. Prima est, ut non procedat in poena conventionali, quæ in contractibus solet apponi. Quia violans contractum statim tenetur ad poenam designatam in contractu solvendam, licet in contractu tantum dictum sit, sub tali poena, vel talem poenam incurrat. Ita tenet Tiraq. supra n. 256, citans Paul. Castren. in l. *Ad diem*, ff. de Verb. oblig. Expresse idem tenet Felin. in c. 1 de Constit. n. 46, et Deci. ibi

lect. 2, n. 20, et sequitur Castro supra. Ratio præcipua est, quia poena conventionalis debetur ex vi pacti; quod autem debetur ex pacto, debetur in conscientia ante judicis sententiam; ergo. Major videtur plane colligi ex l. *Rescriptum*, § *Si pacto, ff. de Pact.*, dicente: *Si quis in pacto pœnam stipulatus est, posse postea agere vel ex pacto, vel ex stipulatione suo arbitrio*: ergo supponit illa lex poenam conventionalem deberi ex pacto, et ex promissione. Uterque autem titulus inducit obligationem in conscientia, et ideo Glos. ibi differentiam in hoc constituit inter poenam legalem et conventionalem, quæ non potest esse alia, nisi quod lex per se non obligat ad poenam; conventio autem seu pactum obligat. Declaratur in votis pœnibus; nam si quis vovit aliquid sub tali poena, censetur vovisse poenam, illamque in conscientia tenetur implere, si principale promissum [non implevit]: ergo idem est cum proportione in promissione, vel pacto humano: nam est eadem ratio quæ in voto, in quo poena censetur promissa Deo, vel in poenam prioris transgressionis, vel in defectum alterius operis, quasi sub disjunctione promissi: idem autem est modus promissionis humanæ, ut constat.

6. *Pœnam conventionalis non deberi antequam petatur coram judice, et debitor condemnetur, licet in contractu explicetur pœnam incurri ipso facto*, sentit Vasquez.—Nihilominus limitationem hanc non admittit Navarr. d. cap. 23, n. 68. Imo ampliat regulam positam, ut non solum procedat in poena legali, sed etiam in conventionali; qui neminem pro sua sententia allegat, nec probat illam aliquo textu, vel ratione juridica, sed tantum ex consuetudine, quia hæ poenæ conventionales communiter non solvuntur, nisi interveniat coactio, et ita ipsa consuetudo interpretatur, intentionem contrahentium esse ut talis poena non aliter debeatur. Hanc opinionem sequitur Vasquez l. 2, disp. 173, cap. 4; additque Navarrum intellexisse hanc poenam conventionalem non deberi antequam petatur coram judice, et debitor condemnetur, quod est verisimile, licet Navarrus id non explicaverit, quia alia non est propria coactio. Addit præterea hanc sententiam procedere, etiamsi in contractu expressum sit ut poena ipso facto incurritur, quod Navarr. non dixit, nec ipse aliter probat. Denique allegat Covarr. in 42 p., c. 6, § 8, n. 11, cuius sententia longe diversa est: ait enim pœnam conventionalis deberi in conscientia, si ab altera parte petatur, unde non requirit sententiam judicis, et ita

interpretatur priorem sententiam, et differentiam inter ponam conventionalem et legalem. Nam in reliquo dicit servare proportionem, quia, sicut non licet resistere judici imponenti poenam, ita nec licet resistere petenti poenam ex pacto debitam. Addit vere Covarr., sicut poena legalis non debetur ante sententiam, ita nec conventionalem deberi antequam petatur: ratio ejus est, quia, quando alius poenam non petit, ex justa conjectura alter presumit illam sibi remittere; non exponit autem quæ sit ista conjectura; potest autem afferri illa, qua utitur Navarr., quia honestiores homines non decet has poenas exigere, aut velle, arguento c. *Suam*, de Pœnis, et c. *Fraternitas*, 12, q. 2.

7. *Resolutio auctoris*. — Neutra ex his sententiis potest a nobis simpliciter et in universum probari. Dicere tamen possumus, priorem esse veram de rigore juris, de facto vero posse contrarium contingere ex intentione contrahentium. Quod ergo de lege diximus, ita de pacto dicendum est, scilicet, aliud esse loqui de potestate, aliud de facto. Nam de potestate certum est posse contrahentes convenire de poena solvenda in conscientia, ab illo qui contractum vel promissum non servaverit, etiam non expectata alterius petitione. Quod nemo negare potest, cum hoc nulla lege naturali vel humana sit prohibitum, et non excedat liberam facultatem contrahentium. Loquor autem generatim de contractibus in quibus non est prohibitum poenam apponere: nam si quis est specialis contractus, ubi hoc est prohibitum, ut de sponsalibus statuitur in cap. *Gemma*, de Spons., ibi nec in conscientia nec per sententiam debita est poena. Quandocumque vero licitum est poenam ponere, licitum est sese invicem contrahentes in conscientia obligare. Sicut etiam est certum quod, si nolint se ita obligare, sed solum ut cogi possint per judicem ad tales poenam solvendam, id etiam positum sit in eorum voluntate, quia nihil est quod eos necessitat ad se magis obligandum.

8. *Ex intentione contrahentium judicandum de obligatione solvendi pœnam; et secundo, ex verbis ipsorum; si contineant promissionem, plane solvenda est in conscientia ante sententiam judicis, nisi constet de contraria consuetudine*. — Ex his ergo colligo, in conscientia judicandum esse de obligatione contrahentium ex intentione ipsorum, quia ex illa pendet obligatio, et quoad illam eorum confessioni standum est in foro conscientiae. Si autem nesciant speciale intentionem explicare, sed so-

lum generale contrahendi et obligandi se prout debeat, tum imprimis verborum vis perpendenda est; nam si illa contineant promissionem ipsius poenæ in tali eventu, sine dubio oritur obligatio in conscientia, quia est promissio conditionata, quæ obligat impleta conditione. Et hoc probat exemplum de voto, et quæ de illo tradi solent; habent enim locum in promissione humana ponali, quæ est quidam contractus. Et eadem ratione procedent in quocumque contractu similem promissionem includente. Atque idem erit si contractus penalis resolvatur in disjunctivum, ut: *Faciām hoc, vel illud*: nam ex illis verbis sine dubio oritur obligatio ad unum ex illis, et consequenter ad secundum, si primum non impletur. Solet autem hoc fieri per modum poenæ, quando unum est per se primo intentum per contractum, et aliud adjungitur in defectum illius, et quasi ad cogendum contrahentem, ne in principali deficiat. Denique ob eamdem causam, si verba contractus satis significant obligationem ipso facto, vel eo ipso, quia aliquis fuerit pactum transgressus, non video cur non oriatur obligatio in conscientia, cum ex verbis debeamus de voluntate judicare, et illa verba satis indicent hujusmodi voluntatem. Quapropter, nisi constet de contraria consuetudine (de qua milii non constat, præsertim pro tali casu), censeo sic contrahentes et transgredientes contractum obligari ad poenam in conscientia, ante sententiam, saltem si ab altera parte petatur, ut magis ex sequenti puncto constabit.

9. Addo enim ulterius, licet in contractu solum dicatur, sub tali poena, quam solvere debeat contraveniens contractui, juxta commune jus et attenta rei natura intelligendum esse solvendam esse poenam, nulla sententia vel coactione judicis expectata. Hoc mihi suadent fundamenta prioris sententiae, quia revera tota illa obligatio intelligitur nasci ex obligatione pacti, et promissionis humanæ mutuae vel acceptæ: pactum autem humanum obligat ex se, et sine ullo ordine ad coactionem judicis. Unde, quamvis non repugnet pactum fieri sub illa conditione, scilicet, sub tali poena per judicem imponenda, vel post ejus sententiam saltem declaratoriam solvenda: talis tamen intentio non videtur consentanea promissioni, vel pactioni humanæ: nec etiam videtur præsumenda, nisi in verbis declaretur, vel de illa certo constet pacienti: vel certe nisi certum sit hanc esse communem consuetudinem. De tali autem consuetudine mihi non constat (quidquid Navar. et alii dicant). Et fortasse ad summum consuetudo habet, ut talis poena non censeatur debita, donec petatur, ut Covarr. dicebat: potuit autem consuetudo introduci ex probabili presumptione supra notata. Neque haec est propria limitatio regulæ supra positæ, quia illa procedit de poena legis, que est simpliciter involuntaria et ex obligatione imposta, non assumpta; poena autem conventionalis est voluntaria in sua origine, nam ex voluntario contractu nascitur; item lex veluti natura sua dicit ordinem ad judicem tanquam ad motorem suum: nam judex est quasi lex viva, seu anima legis; pactum autem ex se per ipsosmet contrahentes executioni mandari debet, et ideo per se non requirit judicem, etiam ad executionem poenæ, sed solum quod in conscientia constet, tam de transgressione, quam de voluntate alterius, et civili ac spontaneo modo exigentis poenas.

10. *Licet testator solum dicat sub tali pœna, non implens ejus voluntatem tenetur in conscientia: est enim conditio sine qua non*. — Alia item limitatio ad dictam regulam adhiberi solet, ut, scilicet, non procedat in poena testamentaria quæ solet poni in legato, seu mandato testatoris imponentis talem vel talem poenam, si non impleatur. Nam, licet testator solum dicat sub tali poena, non implens ejus voluntatem tenetur in conscientia. Quæ est communis sententia, Panorm. in cap. *Rainaldus*, de Testament., n. 23; Anton., 3 p., tit. 10, cap. 3, § 11, quæstiunc. 4; Cajet. in Summa, verb. *Pœna*; Covarr., dicto cap. *Rainaldus*, § 1, n. 6, et in 4, p. 2, § 8, n. 17; Navar., dicto cap. 23, n. 67; et Castro, dicto l. 2, cap. 1; Tiraquel., supra, n. 54. Hæc autem limitatio, licet veram doctrinam contineat, revera non est limitatio regulæ positæ. Quia hæc non est vera poena, sed conditio, ut recte notavit Abbat. supra ex Glos. ibi, verb. *Adjiciens*. Testator enim, ait recte Panorm., non habet jurisdictionem qua puniat et cogat, sed habet plenum dominium rei sue, ratione cuius potest legare, prout vult, et ideo quando videtur imponere poenam, legat rem sub conditione, quæ non impleta, non vult rem suam detineri ab herede vellegario, et in hoc sensu imponit poenam, id est, onus non retinendi illam, quia in illo eventu non vult illam donare, et ideo talis poena obligat in conscientia; quia cessat justus titulus retinendi illam, et quia voluntas testatoris ex justitiæ obligatione implenda est. Secus vero est de poena legali, quæ per potestatem jurisdictionis imponitur, et per eam

reus privatur re vel jure, quod adsolute posse debat, ad reipublicæ satisfactionem et correctionem, et ideo non est de illa similis ratio. Alia limitatio posset adhiberi ex parte materiæ, quam in regula sequenti, cui communis esse videtur, explicabimus.

11. *Quando lex fertur simpliciter per verbum futuri, non obligat ante sententiam; communis contra Barbat., verbum siquidem futuri, virtute includit negationem.* — Secunda regula est, quando lex fertur simpliciter per verbum futuri temporis tantum, non obligat in conscientia ante sententiam. Est communis, ut de censuris dicto loco dixi, et generaliter doctores allegati, præsertim Tiraquel. supra n. 39, 40 et 41, ubi innumeros allegat doctores et Glossas, adjiciens solum Barbat. contradixisse levibus motum rationibus, quas ideo omittit. Ratio ergo regulæ clara est, quia verbum futuri temporis non solum non fert sententiam in præsenti, sed etiam virtute includit negationem ejus, quia quod in futurum faciendum est non fit; ut si dicat, Excommunicetur, irritetur, nondum excommunicat, nondum irritat. Dices hoc esse verum in verbis significantibus actiones, quæ non ab ipso reo, sed a superiore facienda sunt, ut sunt excommunicare, irritare: secus vero fore, si verbum legis significet actionem ab ipso reo exercendam, ut si dicat, Solvet, jejunabit, etc. Nam tunc videtur imponere de præsenti obligationem ad actum postea futurum. Respondeo tunc habere locum alia principia posita, quod saltem verba illa sunt indifferentia ad instruendum judicem, vel obligandum reum, ac subinde in mitiorem partem assumuntur. Et ideo quidam dixerunt quod si ex tenore legis constet verbum de futuro dirigi ad partem, et non ad judicem, continet sententiam latam, ut refert Tiraquel. supra, n. 61. Probatio autem quam adducit, procedit in gratiis, non in poenis, et ideo non admitto in præsenti illam doctrinam. Nam, licet lex loquatur ad reum, si tantum per verbum de futuro designat poenam, intelligitur præcipere ut pareat tali poenæ, quando illi fuerit juridice imposta: nam hic sensus est mitior, et juri ac consuetudini conformis.

12. *Regulam dictam procedere etiam verbo geminato, ut: Cessetur et irritetur.* — Huic regulæ plures limitationes adhibet Tiraquel. supra; duæ tamen aut tres tantum sunt examinandæ. Una est, quod non procedat, quando verbum de futuro geminatur in lege, ut si dicat lex, cessetur et irritetur. Ita habet n. 46,

ubi pro ea refert Bald., Roman., Jason., Deci., Felin., et innumeros alios, qui solum in hoc fundantur, quia verbum geminatum debet aliquid operari, l. Balista, ff. ad Trebel., adjuncta Glossa ibi, verbo *Etiam fructus*. Nihilominus hæc sententia mihi non probatur, quia nullo firmo fundamento nititur: et ideo ab illa merito discedit Castro, quem alii theologi moderni sequuntur. Et ex juristis illam retractarunt Deci. in lege *Cum postea*, c. de Pactis, et Felin. in cap. ultimo de Offic. delegat., n. 1, in fine. Dico ergo, licet lex habeat duo verba de futuro, eamdem poenam, seu effectum significantia, non obligare in conscientia, nec contineare legem latam, sed ferendam. Ratio impennis est, quia etiam in illo verbo geminato non continetur præceptum ipsi reo impositum exequendi, seu observandi poenam: ergo ad hoc non obligatur, donec a judice per sententiam præcipiatur, ut si lex dicat, Irritabitur et evacuabitur, per utrumque verbum instruitur judex, non cogitur reus.

13. Nec fundamentum contrariae sententiae est alicuius momenti, quia, licet geminatio verbi aliquid operetur, non tamen operatur novum effectum non significatum per mille verba similia. Quocirca, si verba significant distinctas poenas, vel unum augeat aliud in ipsa poena et utrumque sit de futuro, geminatio significabit augmentum poenæ imponendæ, non vero poenam ipso facto impositam. Quando autem verba sunt synonyma in significato, et utrumque est de futuro, non possunt significare aliquid de præsenti propter solam geminationem, quia hoc est ultra significacionem verborum, et ita est ampliatio valde voluntaria, quæ in omni materia cavenda est, maxime vero in poenali. Illa ergo geminatio tunc solum ostendit, vel majorem deliberationem legislatoris, vel majorem affectum, vel majorem criminis acerbitatem, vel indicat maiorem firmatatem vel immutabilitatem in poena, ut judex non audeat illam minuere, non vero indicat novum effectum, quem verba non significant. Sicut in multis juribus constat, et in legibus etiam ferentibus poenam ipso facto, ut postea videbimus, et admittit ipse Tiraq. ibi n. 25, 48, et sæpe alias: unde non video cur illi sententiae tam constanter adhæserit, nam multitudine doctorum non sufficit ubi nec textus nec ratio suffragatur.

14. *Alia regulæ limitatio Tiraq. rejecta, si poena per verbum futuri imponatur per duas leges.* — Atque hinc etiam non probo limitationem aliam quam Tiraq. adjungit n. 44,

nimirum, si poena per verbum de futuro imponatur per duas leges, priorem, et posteriorem, tunc licet ex vi solius prioris legis fuerit poena tantum ferenda, ex vi posterioris esse latam, ac subinde secundam legem obligare in conscientia ad illam. Fundatur enim hæc limitatio in præcedenti, quia ibi geminatur verbum futuri. Nec impedit, imo juvat, quod geminatio per duas leges fiat: nam juxta doctrinam juristarum, efficacior est geminatio quæ fit per actus distinctos, et per temporis intervallum, quam quæ fit uno momento et contextu, ut tradit Felin. dicto cap. ultim. de Offic. deleg., et idem Tiraq. n. 49. Accedit, quod ultima dispositio, seu lex idem statuens quod prima, aliquid debet operari, ne sit supervacua, ut ex multis idem auctor notat, n. 45, inde concludens, secundam legem imponentem poenam de futuro plus operari quam primam, et ideo continere legem latam.

15. Nihilominus, ut dixi, hæc limitatio admittenda non est, propter rationem factam, quia verba posterioris legis non significant sententiam latam, nec mutant significacionem propter priorem legem. Nec geminatio sufficit, ut ostensum est. Nec refert, quod sit cum intervallo temporis, quando effectus et modulus significandi verborum idem omnino est. Neque propterea secunda lex erit superflua, tum quia habere potest omnes effectus supra dictos, tum etiam, quia potest deservire, ut si fortasse prior lex in dissuetudinem abiit, per posteriorem restauretur. Sic enim dixit Rota, decis. 31 de Præben. in antiquis, alias 858, geminatam reservationem Papæ non operari novum effectum, seu solum efficere ut, revocata priori, non censeatur sublata posterior. Item duplicita lex auget fortasse obligationem judicis, et magis illum movet ad talem poenam imponendam.

16. *Regula prædicta non procedit quando talis est poena ut nisi ipso facto incurritur, illusoria reddatur.* — Tertia, et valde notanda limitatio est, ut regula non procedat, quando talis est poena, ut nisi ipso facto incurritur, illusoria reddatur lex, et nullius momenti: tunc enim licet lex simpliciter imponat poenam, dicendo, sub tali poena, vel per verbum de futuro, tacite subintelligit et includit actionem aliquam de præsenti factam virtute ejusdem legis, ratione cuius potest verificari in futurum quod lex disponit: ita sumitur ex Glossa in l. *Improbum*, c. Ex quibus causis infamia irrog. Quam sequitur Castro supra, Tiraq. supra, n. 40. Et ratio optima est, quia

lex non est ita interpretanda, ut sit vana et inutilis; nam hoc cederet in injuriam legislatoris: ergo si talis reddatur, intelligendo poenam imponendam et non latam, non potest ita intelligi, etiamsi per verba de futuro vel generalia loquatur. Exemplis magis declaratur.

17. *Exemplum in pœna infamie.* — Dicti ergo auctores ponunt exemplum in pœna infamie, ita interpretantes dictam l. *Improbum*, in qua dicitur, usurario irrogandam esse infamiam, et nihilominus intelligenda est ipso jure infamiam irrogare. Quam interpretationem et opinionem sequuntur ibi Bart., Bald. et alii, et rationem reddunt, quia nisi lex illa de infamia ipso jure irroganda intelligatur, non posset habere effectum, quia non posset per judicem imponi, et ita esset inutilis illa lex.

18. *Rejicit Vasquez.* — Hoc vero exemplum improbat Vasquez d. disp. 123, c. 1, solumque utitur ratione hujusmodi, quia sententia judicis sit necessaria ad incurrandam infamiam; solum est necessaria ut conditio requisita; illa vero posita, lex est, quæ per se infamiam infert, quatenus statuit, ut condemnatus a judice de talibus criminibus statim sit infamis.

19. *Refutatur Vasquez, et approbatur dictum exemplum juristarum.* — Verumtamen Glossa et doctores allegati non admittunt illud assumptum, et utuntur alia ratione, ut statim dicam, que non dissolvitur, et ita non satis improbat illo modo eorum sententia. Deinde, etiamsi vera esset illa ratio, per illam non recte improbat exemplum; quia, licet infamia non ponatur per judicem, nisi ut applicantem conditionem necessariam, nihilominus talis poena imponetur ipso jure: ergo, licet per verbum futuri exprimatur in lege, intelligenda erit lex de impositione ipso jure. Denique, quod caput est, infamia in tota sua latitudine sumpta non illo tantum modo, sed etiam alii potest imponi. Aliquando enim incurritur ex vi juris per sententiam declaratoriam; potest etiam aliquo modo incurri ante talem sententiam ex vi solius criminis, etiam occulti; atque etiam potest neutro modo incurri ipso jure, sed per judicem et sententiam condemnatoriam imponi: nullus enim modus ex istis repugnat tali poenæ, ut probavi late in 7 tom. de Cens., disp. 38, sect. 1, et pro legum varietate uno vel alio aut alio modo incurritur, vel imponitur: ergo non est universaliter verum, infamiam solum ferri per sententiam, ut per conditionem necessariam: aliquando